



Leonhardus in Bauaria nobili genere Eckiorū
 natus anno 1480. patre Leonhardo ab Ek, ma-
 tre uerò Hallera nobile itidem Bauara. A teneris
 annis Kelhaimi supra Ratisponam (ubi pater duca
 lis præfectus fuit) prima literarum fundamenta hau-
 sit. sed maturè etiam Germanicas academias acces-
 sit, in quibus, ut natura facundus & celerrimi iudi-
 cij, mirificè sese in sua facultate & omni ornata lite-
 ratura exercuit: ut tum statim principes quidam eū
 ad se cœperint uocare. ille uerò antequā cuiusquā
 sese aulæ credere uellet, in Italiam proficisci uoluit,
 ubi studia sua diligenter continuauit, linguam eius
 regionis didicit, doctoreaq; Iureconsultorum lau-
 rea coronatus fuit.

Quamprimū autem ex Italia rediit, uocatus ad Marchio-
 nem Brandenburgensem Onoltzbachium, ei principi à consilijs aliquandiu
 fuit, qui eū legationibus uarijs adhibuit. erat enim iuuenis alacris, atq; exerci-
 tati ingenij, & præter admirandam politicarum rerum peritiam etiam facun-
 dus, & in dignoscendis hominum moribus ualde argutus, & admodum festi-
 uus. Ibi cū aliquot annos cōsumpsisset, factus est Bauarię ducis Vuilhelmi cō-
 siliarius: atq; tum adhuc celebs fuit, in annum usq; ætatis quadragesimum.